

P. VERGILI MARONIS

GEORGICON

MPR]

LIBER PRIMUS

Quid faciat laetas segetes, quo sidere terram
vertere, Maecenas, ulmisque adiungere vites
conveniat, quae cura boum, qui cultus habendo
sit pecori, apibus quanta experientia parcis,
hinc canere incipiam. vos o clarissima mundi 5
lumina, labentem caelo quae ducitis annum;
Liber et alma Ceres, vestro si munere tellus
Chaoniam pingui glandem mutavit arista,
poculaque inventis Acheloia miscuit uvis;
et vos, agrestum praesentia numina, Fauni 10
ferte simul Faunisque pedem Dryadesque puellae:
munera vestra cano. tuque o, cui prima frementem
fudit equom magno tellus percussa tridenti,
Neptune; et cultor nemorum, cui pinguia Ceae
ter centum nivei tondent dumeta iuveni; 15
ipse nemus linqvens patrium saltusque Lycae
Pan, ovium custos, tua si tibi Maenala curae,
adsis o Tegeae favens, oleaeque Minerva
inventrix, uncique puer monstrator aratri,
et teneram ab radice ferens Silvane cupressum; 20
dique deaeque omnes, studium quibus arva tueri,
quique novas alitis non ullo semine fruges,
quique satis largum caelo demittitis imbrem;
tuque adeo, quem mox quae sint habitura deorum

Liber 1. 7 vestroque in munere Prob. sit munere M¹ si numine M² 9 Achelonia Brev. expos. Verg. georg. 1, 9 13 fundit P Serv. auct. Aen. 1, 1 equom] aquam v. l. apud Serv. auct. 16 patriumq. M¹